



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitata ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Practicum & speculatiuum non sunt differentiae essentielles diuidentes
omnes habitus intellectuales, sed solum scientias naturales. cap. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

tur ipsa praxis, quæ est immediatum obiectum notitiæ practicæ: semper enim, vt bene notant Doctores relati capit. 4. numer. 5: praxis ipsa est saltem pars obiecti notitiæ practicæ, si verò nomine obiecti intelligatur obiectum attributionis, circa quod scientia versatur, tunc non semper est opus, vt ipsum sit aliquid operabile, sed sat est, vt sit terminatum praxeos, quam scientia dirigit; quia vero etiam de obiecto operabili potest esse notitia speculatiua, additur propria ratio quæ consistit in directione, qua præscribitur operandi modus: vel imperatiue inducendo necessitatem obligationis, vt plerumque accidit in dictaminibus moralibus, vel ostensiuè, vt in artificialibus. Et hac ipsa præceptione indicatur ordo ad finem, qui enim operationem dirigit, finem intendit: scientia verò speculatiua sic describi potest: est actus intellectus tendens in solam obiecti veritatem sine habitudine ad alium finem, sine dictamine, aut regula operandi. Quæ descriptio patet ex declaratione notitiæ practicæ. Ex cognitione verò actui faciliè dignoscitur natura habituum, est enim scientia practica, habitualis inclinatio ad actum directiuum praxeos: speculatiua vero habitus inclinans ad solam speculationem, quibus positis pro huius materiæ complemento, superest indagandum, quomodo hæ differentię se habeant ad singulas scientias.

Practicum, & speculatiuum non sunt differentię essentialis diuidentes omnes habitus intellectuales, sed solum scientias naturales.

CAPVT VII.

I. IN controuersia est apud Authores, vtrum practicum, & speculatiuum sint differentię essentialis scientiarum, an verò solum accidentales: quæ quæstio potest intelligi dupliciter, primum quidem vtrum semper arguant distinctionem specificam. Deinde verò vtrum ipsæ sint veræ differentię essentialis, quod attinet ad priorem sensum quæstionis, plurimi è recentioribus censent esse differentias accidentales, ex varijs tamen fundamentis. Nam qui credunt

scientiam non esse practicam ex solo defectu potentie exercendi operationem, admittunt accedente, vel recedente eiusmodi potentia eandem sententiam, modo esse practicam, modo speculatiuam, ex quo fundamento id docet Aureolus ^{Aureol.} quæstion. 3. prolog. art. 2. & tanquam probabile admittit Capreol. ^{Capreol.} quæstion. 2. prolog. a. 2. ad 1. & 1. contra 6. conclusionem. Item qui existimant ad rationem scientiæ practicæ requiri actualem relationem eius in finem, eodem modo dicent, eandem conclusionem moralem cognitam, absque eo quod actu voluntas intendat operationem esse speculatiuam, cum vero voluntas intendit finem, & cognitionem applicat ad directionem operationis volitæ inducere rationem practicæ. Tertium fundamentum est aliorum, qui censent eas conuenire simul eidem habitui naturali, qui diuersarum conclusionum respectu, & est speculatiuus, & practicus: cuiusmodi aiunt esse logicam & scientiam moralem: quæ modo considerant naturam, & proprietates subiectæ materiæ, modo regulas operandi tradunt, & consequenter habent simul rationem practici, & speculatiui. Id verò probant, quoniam duæ illæ scientiæ plurima demonstrent de suis subiectis, quæ merè speculabilia sunt: neque vllam praxim immediatè regulant.

Verum opposita sententia multò communior est apud doctores, qui saltem in scientijs naturalibus docent practicum & speculatiuum elicere vel differentias essentialis, vel proprietates ab illis procedentes, quos inferius referam. Et nullum ex allatis fundamentis sufficiens est ad stabiliendam sententiam oppositam. Nam primum, quoniam, vt iam ostendi, notitia, quæ suapte natura est directiua praxeos & proxima mensura illius, siue subiectum sit potens ad operationem exercendam, siue non, habet veram rationem notitiæ practicæ: quæ non variatur per mutationem subiecti penes solam potentiam operandi: & ita negandum est accessu, vel recessu potentie transire notitiam de practica in speculatiuam, aut vice versa. Item superius ostendi rationem notitiæ practicæ non consistere in actuali, sed aptitudinali relatione ad finem, atque adeò siue voluntas intendat opus per eam regulandum, siue non, retinet veram rationem notitiæ practicæ, dummodo sua-

pte na-

pte natura sit regulatiua praxeos, ex quo patet falsitas secundi fundamenti. Tertiū similiter est falsum: namque ex habitibus naturalibus communiter à Philosophis numeratis nullum vtramque rationem participat, neque scientia moralis, quatenus est vna, siue re, siue ordine, est simul practica, ac speculatiua, sed solum practica, & inter habitus practicos recensetur libr. 6. Ethic. capit. 2. & supponitur à Diu. Thom. 1. part. quæstion. 1. a. 4. dum contraponens Theologiam scientijs Philosophicis, ait, licet harum alia sit speculatiua alia practica, Theologiam tamen comprehendere, sub se vtramque. Inter philosophicas autem scientias non est alia practica, quam moralis, & ita in sententia D. Thom. hæc non est simul practica, & speculatiua: aliā perperam quoad hoc statuisse discrimen inter eam, & Theologiam. Dicit aliquis non solum Philosophiam moralem ex Philosophicis esse practica: nam Medicina practica est, ideoque non necessario eo loco intelligi debere moralem. Hæc tamen euasio non habet exitum, nam medicina non solet appellari scientia Philosophica: si quis autem contendat posse ita dici, eadem de illa ratio erit, ac de scientia morali: non minus enim contemplatur naturas herbarum, & rerum aliarum, quam Philosophia moralis naturam virtutum. Et ita qui hanc dixerit simul practica, & speculatiua, idem de Medicina dicere tenetur: & tamen Diu. Thomas vult ex scientijs philosophicis aliam esse purē speculatiua, aliam solummodo practica. Similiter moralem scientiam esse solum practica docet Albertus in sum. tract. 1. quæstio. 3. in 3. Bonauentur. quæstion. 3. prolog. Henricus in sum. art. 8. quæstion. 3. & alij communiter. Deinde scientia trietè sumpta sumitur pro habitu conclusionum: nam habitus principiorum, & quædam aliæ prænotiones requiritæ non pertinent ad ipsam formalem rationem intrinsecam scientiæ, & ita si quæ speculatiua modo considerantur in philosophia morali, hæc non pertinent ad ipsam, vt est propria scientia, sed magis pertinent ad scientiam naturalem de homine, considerantur tamen in morali, tanquam principia eiusdem: nam ex cognitione virtutum, ac vitiornm eliciuntur propositiones quædam speculatiuæ, quæ sumuntur, vt principia ad deducendas conclusiones practicas; quod non sufficit, vt scientia moralis vilo modo speculatiua dici queat, ete-

nim prudentia, quam idemmet Authores merito concedunt purē practica, adhibere solet in suis syllogismis propositiones aliquas speculatiuas, ad eruenda dictamina practica: quare consideratio speculatiua principiorum, quæ deinde intermixta alijs principijs practicis subsumuntur, ad colligendam conclusionem practica, non dat rationem, aut denominationem speculatiuæ scientiæ illi, quæ versatur solum circa conclusiones practicas. Quod vero attinet ad Logicam, eadem ratio est, nam quamuis inter Doctores sit controuersia, sitne practica, an speculatiua: qui tamen dicunt esse practica, negant habere rationem speculatiuæ, & vice versa.

Quæstio deinde est, an practicum, & speculatiuum sint differentiæ essentielles, vel proprietates diuidentes adæquati omnem habitum intellectuale: ita, vt vtraque ratio in vno habitu simul reperiri nequeat. Affirmant Henricus in sum. art. 8. quæstion. 3. Aureolus quæst. 3. prolog. a. 1. dum agit contra 8. propositionem. & articulo 2. §. Vltimo. Scotus quæstion. 5. artic. 1. §. *Alia opinio.* Ex Lychet. ibidem Mayron. in 1. d. 48. quæstion. 4. Bassol. quæstion. 7. prolog. articulo. 4. & quæstion. 8. art. 1. §. *Contraprimam viam arguo,* & art. 2. §. *Sed de Theologia.* Toletanus quæstion. 10. art. 2. conclusio. 3. & a. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem Argentin. quæstion. 4. artic. 4. dum impugnant quartam opinionem, quæ est Godfredi, & Aquilani quæstion. 4. artic. 4. Probatur primo: quoniam impossibile est differentias oppositas contradictoriæ, vel saltem habentes contradictionem necessario annexam, & adæquate diuidentes aliquod genus, cōcurrere in vna, eademq; specie: ratio practici, & speculatiui sunt differentiæ eiusmodi comparatione habitus & actus latè sumpti: ergo fieri nequit, vt in eadem conueniant. Maior propositio ostenditur exemplo, & ratione exemplo differentiarum, quibus animal in hominem, brutumque diuiditur, quæ nulla prorsus potentia conuenire possunt in vnam speciem animalis, vt per se patet. Ratione, quoniam in coniunctione differentiarum eiusmodi in eadem specie sequitur aperta contradictio, nam cum vtraque sit forma essentialis subiecto communicabit illi suum effectum formalem, ac denominationem, & cum vtraque inuoluat negationem alterius, ex vnius positione necessario infertur negatio alterius.

III.

Henricus.
Aureol.Scotus.
Lychet.Mayron.
Bassol.

Toletan.

Argent.

Aquilan.

Assumptio vero est quoque euidens: in primis enim practicum, ac speculatiuum diuidunt adequatè habitus, vt colligitur ex Aristoteli citando capit. sequenti n. 6. Deinde vnum continet negationē alterius, siquidem habitus practicus ordinatur ad finem distinctū à proprio actu, speculatiuus nequaquam; speculatiuus est sola veritatis cognitione contentus, practicus vero totus in praxi mensuranda consumitur. Secundò idem suadetur, quoniā vnus habitus vnus est finis adequatus, vnum subiectum attributionis, & formale: Obiectum autem stare simul nequit respectu eiusdem scientiæ sub ratione operabilis, & non operabilis, regulabilis, & non regulabilis: quæ sunt conditiones necessariæ ex parte ipsius ad specificationem rationis practiciæ, & speculatiuæ: fieri etiam nequit, vt finis habeat annexas condiciones oppositas, verbi gratia, vt sit sola speculatio, & non sola, sed etiam praxis: repugnat quoque eundem actum esse elicatum à scientia, ac puram cognitionem obiecti, & simul imperatam & regulatam ab eadem. Præterea finis non subordinati, sed singuli seorsim per se intenti non possunt cadere in habitum vnum per se: praxis, & speculatio sunt eiusmodi: Non ergo venire possunt in considerationem vnus scientiæ.

IV.

Communior tamen sententia inter Doctores est practicum, & speculatiuum absolute quoad omnem suam latitudinem non esse differentias essentielles, sed accidentales: si vero sumantur comparatè in ordine ad aliquas scientias, arguere differentiam essentialem. Et quidem Caietan. 1. part. quæstion. 1. art. 4. §. *Antequam*, ait respectu scientiarum de obiecto finito esse essentielles, respectu vero scientiarum de obiecto infinito accidentales. Fundamentum esse potest, quoniam obiectum infinitum ratione suæ amplitudinis, ac scibilitatis sub eadem ratione formali continet virtualiter veritates practicas, & speculatiuas: quod obiecto finito ratione suæ limitationis non conuenit. Capreolus verò vbi supra censet esse differentias essentielles respectu scientiarum, quæ naturali lumine acquiruntur, accidentarias vero respectu earum, quæ acquiruntur diuino. Verum hi Authores non assignant adequatam causam suæ distinctionis: nam finitas, vel infinitas subiecti non mutat rationem eius in genere scibilis, nisi respectu cognitionis adequatæ, de qua modo non loquimur: & quemadmodum subiectum infinitum virtute continet ve-

ritates practicas, & speculabiles: Sic etiam finitum suo modo continet: ex natura enim, ac diffinitione hominis colliguntur pleræque veritates morales practiciæ: contra vero de Deo obiecto infinito sunt scientiæ naturales diuersæ specie secundum rationem practici, & speculatiui, nimirum Metaphysica, & ea pars scientiæ moralis, qua instrumur ad operationes morales, quæ versantur erga Deum. Item diuersa ratio luminis, ad quæ recurrit Capreol. etiam non sufficit. Nam prudentia moralis infusa supernaturali lumine nititur: & nihilominus secundum rationem practici differt essentialiter à Theologia, ex parte qua speculatiua est: & præterea non assignat rationem, cur sub lumine naturali ratio practici, & speculatiui constituent differentiam essentialem, non vero sub lumine supernaturali. Verum responderi huic obiectioni potest ex doctrina eiusdē Capreoli vbi supra, ea, quæ sunt ordinis superioris, non specificari similiter ac ea, quæ sunt inferioris: nam color, & sapor, qui comparati ad sensus externos cōferunt essentialem differentiam duob. potentijs, conueniunt in vnica ratione obiectiua sensus cōmunis: & ita respectu eius nō differunt secundum speciem obiecti scibilis. Ita licet speculatiuum, & practicum respectu scientiarū naturalium sint essentielles differentia, non erunt respectu scientiæ supernaturalis habitæ ex lumine diuino. Quæ quidem ratio indicatur à D. Thom. 1. 2. p. q. 1. ar. 4. Et quamvis verisimilis sit, nondum ostendit in quo consistat ratio discriminis. Nam sapor, calor, & alia accidentia sensilia respectu sensus communis habent vnica rationem communem mouendi sensum, à qua sumitur specificatio illius, ipsa vero accidentia habent se materialiter. At cur ratio practici, & speculatiui sub lumine diuino non variet rationē motiuam obiecti, & habeat se tantum materialiter non explicatum est.

Dico primum. Ratio practici, & speculatiui in tota sua latitudine nec sunt differentia essentielles, nec arguunt differentiam specificam. In hac conueniunt omnes, qui docent Theologiam esse simul practicam, & speculatiuam, quos referam cap. 11. Videbitur autem alicui probari posse hanc conclusionem, ex eo, quod scientia diuina vnica existens vtramque illam rationem habet. Verū ego non vtor hoc fundamento: tum quia licet in materia de scientia Dei hanc sententiam amplectar: non dum tamen probata, & inter Authores controuersa est, tum quia ex eo, quod dua-

aliquæ

Caietan.

Capreolus.

V.

aliquæ rationes in conceptu analogico communi Deo cum hominibus non arguant distinctionem specificam, non rectè colligitur in creaturis posse concurrere in eandem speciem. Etenim ratio intellectus, ac voluntatis in Deo non infert distinctionem essentialem, vt patet: & tamen in creaturis sunt potentia vitales specie distinctæ. Eodem modo, licet ratio practici, & speculatiui conueniant in eandem numero scientiam diuinam, non obstat, quo minus in creatis importent differentias essentielles. Fundamentum autem præcipuum est, quoniam eiusmodi rationes sumptæ in tota sua latitudine habent se ex parte obiecti materialis: Conditiones vero, quæ ita se habent, possunt conuenire sub vna ratione formali: atque adeo pertinere ad eandem specie scientiam, vt constat ex dictis in tractatu de subiecto, & obiecto Theologiæ. Pertinere verò ad obiectum materiale constat, quoniam eadem Conclusio practica, vel eadem speculatiua pertinet ad diuersas scientias: Nam Philosophus, ac Mathematicus ex diuersis medijs demonstrant hanc propositionem speculatiuam, *terra est rotunda*. Item hæc practica, *pauperibus subueniendum est in necessitate*, demonstrari potest ex principijs naturalibus scientiæ moralis, & ex principijs fidei discursu Theologico: & ita subesse debent rationi formali obiecti Theologiæ, ac scientiæ moralis. Ratio verò obiectiua, quæ eadem manens pertinet ad habitus diuersos, non est formalis, sed materialis: nam si formalis esset, non pertineret ad duas rationes formales, neque vterius compleretur in ratione formali. Responderi poterit rationes formales obiectiuas alias esse specificas, & has non posse ad plures scientias pertinere, aut compleri nouæ rationis formalis accessu: alias verò esse genericas, quæ quodammodo per superuenientes contrahuntur ad constitutionem vnius rationis formalis specificæ completæ: Et priores quidem non arguere distinctionem specificam, posteriores autem maxime. Exempli causa, ratio obiectiua scientiæ in communi non est specifica, sed generica, & completur sub hac, vel illa ratione formali scibilis: & tamen est essentialis importans essentielle discrimen scientiæ ab habitibus incertis, & inuidentibus: eodem modo practicum, ac speculatiuum, licet compleantur accessu nouæ rationis formalis, adhuc esse possunt rationes genericæ importantes essentielle discrimen. Quæ solutio satisfac-

ceret argumento, si duæ hæ rationes nunquam subesse possent eidem rationi formali specificæ. Verum cum possint, adhuc manet vis argumenti, si proponatur in hunc modum. Differentiæ, siue rationes formales genericæ essentialiter oppositæ subistere nequeunt eidem rationi formali specificæ. Practicum, & speculatiuum substant eidem rationi formali specificæ: ergo non sunt rationes formales communes essentialiter oppositæ. Omnia sunt perspicua præter assumptionem; quæ probatur: nam fides supernaturalis habet vnicam rationem formalem, specificam, & tamen inclinatur ad assensus mere speculatiuos, & practicos iuxta diuersitatem obiectorum: item fides humana eadem ratione mouet nunc ad assensus practicos, nunc ad speculatiuos: ij verò sunt eiusdem speciei sub eadem ratione formali specificæ: quandoquidem, vt Doctores communiter admittunt, assensus sumunt speciem à ratione motiua: motiuum autem fidei humanæ respectu omnium credibilium est auctoritas, & testificatio humana, quæ est eiusdem speciei in ratione motiui: & proinde nulla alia diuersitas obiecti sub eo motiuo variat speciem.

Dico secundum, practicum, & speculatiuum presse sumpta, vt sunt differentia scientiarum, vel virtutum intellectualium, sunt differentia essentielles, vel saltem proprietates annexæ veris differentijs. Hæc est de mente Doctorum, quos deinceps referam: quorum alij docent practicum, & speculatiuum esse differentias essentielles, alij esse proprietates ex essentia procedentes, & indicia differentia specificæ. Hanc probare nititur Aureol. vbi supra ex sententia Aristotelis lib. 1. Metaphys. t. 2. diuidentis scientias per practicum, & speculatiuum, non enim tradere debuit diuisionem per differentias per accidens. Vbi notandum Philosophum non diuisisse habitum intellectuum in commune per eiusmodi differentias, quoniam tunc esset diuisio per accidens: siquidem hæ differentia in commune sumptæ respectu cuiusvis habitus, vel notitiæ non sunt per se, & conuenire possunt habitibus, & actibus eiusdem speciei, vt constat ex dictis: sed diuisit scientias, nempe naturales, in quibus diuersitas penes practicum, & speculatiuum semper arguit distinctionem specificam: & in hoc sensu intelligi debet id, quod ex Diuo Thoma ait

VI.

Aureol.

Capreol.

Capreol. ubi supra, nimirum practicum, & speculatum diuidere essentialiter scientiam naturali lumine genitam. Fundamentum est, quoniam ea diuisio, cuius differentia sub genere diuiso reperiri nequeunt in indiuiduis eiusdem speciei, traditur per differentias essentielles, vel proprietates his necessario coniunctas: practicum verò, & speculatum presumpsit in scientijs, ita se habent: quare arguet distinctionem specificam. Maior propositio est per se nota: id enim quod semper conuenit, per se, & non per accidens conuenit: atque adeò differentia, quæ semper in suis subiectis supponunt diuersitatem essentialem, vel ipsæ sunt essentielles, vel essentialibus necessario annexæ. Assumptio probatur à partium enumeratione, omnes enim scientiæ naturales speculatiuæ essentialiter distinguuntur à practicis: sed cur practicum, & speculatum in scientijs inducunt distinctionem specificam, non verò in cæteris omnibus habitibus?

VII.

Quidam recentiores respondent causam esse, quoniam habitus scientiarum naturalium vel sunt adæquatè practici, vel adæquatè speculatiui: & ideo habent diuersa obiecta, sed cur, quando habitus sunt inadæquatè practici, & speculatiui, non idem sibi vendicant? Respondent has differentias non distinguere speciem habituum nisi supposita distinctione reali ipsorum, quoniam tunc habent obiecta adæquata diuersa sicut color, & sonus: qui facultatem sensus communis non possunt distinguere secundum speciem, quoniam eadem vis secundum eandem rationem utramque complectitur: sunt vero causa distinctionis secundum speciem sensuum externorum, quia supposita distinctione reali potentiarum, habent rationem adæquati obiecti. Nequaquam tamen probanda est hæc regula: quoniam potentia sumunt ab obiectis propriam rationem formalem, ac distinctionem. Ideoque fieri nequit, ut sint iam distinctæ prius natura, quam intelligantur sub habitudine ad obiectum: etenim, si supponenda est distinctio realis habituum, vel potentiarum, ut obiecta possint conferre illis distinctionem specificam, iam potentia distinctæ sunt specie: quæcumque enim re distinguuntur, oportet, ut differant genere, vel specie, vel numero: potentia verò illæ, quarum exemplo vtuntur, nempe visus, & auditus, si supponuntur distinctæ secundum rem, non possunt considerari sub distinctio-

ne generica, quam non habent: non sub numerica solum, quoniam non conueniunt specie, ergo sub specifica: quare iam non opus est, ut eam accipiant ab obiecto. Et ita doctrina illa repugnantiam continet, & aduersatur communi sententiæ Doctorum, qui ab obiectis sumunt distinctionem potentiarum, & habituum. Neque exemplum, quo vtuntur, eorum opinioni suffragatur: non enim color, & sonus, licet sint perceptibiles eodem sensu communi, propterea sunt inepti, ut seorsim sumpti sub alia ratione formali ab ea, secundum quam mouent sensum communem, possint dare per se speciem potentia ipsi adæquata, quin illam supponant: etenim eadem omnino res sub diuersa ratione formali manet obiectum sufficiens, ad constituendum essentialiter discrimen inter varias potentias, & inter habitus, ut ens quatenus verum, dat speciem intellectui, quatenus bonum voluntati, eadem propositio, ut cognoscibilis per diuersa media dat speciem diuersis actibus, & habitibus: ergo etiam diuersa obiecta materialiter, quauis, quatenus conueniunt sub vna ratione formali, pertineant ad vnâ numero potentiam, vel habitum; tamen quatenus sumi possunt sub diuersa ratione formali obiectiua, possunt consequenter dare speciem diuersis potentijs, & habitibus, quin supponant realem distinctionem ipsorum, quemadmodum color, & sonus non supponunt distinctionem realem visus, & auditus: nec medium demonstratiuum, aut opinatiuum distinctionem scientiæ, & opinionis: sed illam causant.

Fundamentum vero solidum est, quo communiter vtuntur Doctores ad inuestigandas rationes formales potentiarum, & habituum ex obiectis. Nempe, ut ex eo, quod accidit obiecto, quatenus obiectum formale est, nunquam sumatur ratio aliqua essentialis potentia, vel habitus, sumatur autem ex eo, quod per se conuenit obiecto formali: exemplum est in intellectu, qui non sumit speciem ab obiecto agibili, vel speculabili: quoniam hæc duæ rationes accidunt vero, quod est obiectum dans speciem intellectui: neque item ab opinabili, vel demonstrabili ob eandem rationem: fieri tamen potest, ut ratio aliqua, quæ per accidens se habet ad rationem communem potentia, sit per se requisita ad habituum distinctionem, ut in hoc vltimo exemplo patet: siquidem opinabile, & demonstrabile accidunt obiecto intellectus,

junt

VIII.

sunt tamen differentia per se obiecti formalis habitus opinatiui, ac demonstratiui. Ex quo, vt hoc per transennam dicam, patet non bene colligi practicum, ac speculatiuum non esse differentias per se habituum, propterea quod sunt differentia accidentaria intellectus: nam opinatiuum, & demonstratiuum, sunt etiam differentia per accidens intellectus, per se vero habituum. Ex eo vero colligendum est conditionem aliquam obiectiuam per se conferre ad specificationem potentia, vel habitus, quando ea praecisa tollitur specificatio, non semper autem requiritur vt ea posita ponatur: Nam fieri potest, vt ad rationem formalem obiecti concurrant plures conditiones per se requisitae, quarum quauis deficiente dissoluatur, non vero quauis posita ponatur.

IX.

Ex hoc fundamento facile deducitur institutum. Rationes practici, & speculatiui adaequate sumptae in scientijs naturalibus requiruntur per se ad rationem obiectiuam eiusmodi habituum: ergo dantur essentialis distinctio. Consequentia patet ex posito fundamento: quoniam si ab obiecto habituum naturalium, qui sunt adaequate practici, aut speculatiui, cognitione praecindatur ratio agibilis, vel speculabilis, hoc ipso dissoluitur ratio formalis obiectiuam ipsorum: Ergo per se pertinent ad illam: consequentia euidentis est ex eodem fundamento. Antecedens probari potest discurrendo per singulos habitus: nam si à rebus abstractis ab omni materia cognitione separemus aptitudinalem rationem speculabilitatis, iam de se manent indifferentes, vt possint pertinere ad aliam scientiam, quam Metaphysicam, si considerentur, vt terminatiue alicuius operationis: verbi gratia, Deus, vt à nobis amandus, & colendus, item Angulus, triangulus, & aliae figurae si abstrahant à ratione factibilis, iam destruetur ratio formalis obiectiuam artis fabrilis: Contra vero si considerentur non vt speculabiles, sed vt agibiles, iam tollitur ratio formalis obiectiuam geometriae: quare adaequata ratio agibilis, & speculabilis per se pertinet, ac requiritur ad obiectum formale specificans habitus naturales adaequate practicos, vel speculatiuos: & consequenter practicum, & speculatiuum adaequate sumpta, sunt differentia essentialis habitus intellectui naturalis, non quidem vltima, ac specifica, sed generica. Alia quoque ratio fundamentalis sumitur ex

principijs, quoniam motiuum specificans consistit in assensu principiorum: qui in scientijs naturalibus est euidentis, & perinde resoluitur in terminos simplices: atque adeo, quoties ex notitijs terminorum simplicium eliciuntur diuersa iudicia penes rationem practici, & speculatiui, sumuntur ex ratione formali obiecti, quae vltimo consistit in diuersa apprehensione terminorum, semper autem termini principiorum speculabili, saltem altera ex parte sunt essentialiter diuersi, & continent virtualiter veritates complexas specie distinctas: at quando assensus non resoluitur in terminos, sed in medium extrinsecum, quale est testimonium alterius, ratio assentiendi est eadem specie, quoad omnia genera enunciationum, & quo ad omne obiectum: & idcirco ratio practici, & speculatiui in scientijs, quae per assensus euidentes principiorum resoluntur in terminos simplices, arguit distinctionem specificam, non vero in alijs assensibus genitis ex medio extrinseco.

Ex dictis facile soluuntur argumenta sententiae asserentis practicum, & speculatiuum esse differentias, vel proprietates diuidentes habitus omnes intellectuales. Primum quidem negando assumptionem: ad cuius probationem respondetur practicum, & speculatiuum sumpta adaequate in ordine ad propria obiecta, non diuidere adaequate habitus intellectuales, sed tantum scientias naturales, & hoc solum voluit Aristoteles. In alijs vero, quae habent rationem motiuam extrinsecam, nihil prohibet dari habitum, qui non sit adaequate practicus, aut speculatiuus, sed inadaequate simul practicus, ac speculatiuus. Ad probationem eiusdem assumptionis adhibenda est eadem distinctio: sola enim scientia practica adaequate sumpta continet negationem speculatiuae, & viceversa haec negationem illius: at ratio practica simul, & speculatiua inadaequate solum admittit eiusmodi negationem reduplicatiue, ita vt sub ea ratione, quae est practica, non sit contenta sola veritatis agnitione, sed ad vltiorem finem dirigatur: sub ea vero qua est speculatiua, non referatur ad alium finem, sed vltimo sistat in ipsa veritatis contemplatione: vt vero est vna ratio totalis vtramque illam complectens, habet vtrumque positium, nempe relationem ad finem, & puram speculationem veritatis: negationes tamen op-

X.

positas

positas verbi gratia non dirigi ad finem, non habere puram speculationem non admittit simpliciter, sed cum reduplicatio-
ne, vt dixi. Ad secundum respondetur fieri posse, vt vnum, idemque obiectum sub ratione formali indifferenti, quantum est de se, ad practicum; & speculatiuum pertineat ad eundem habitum sub ratione operabilis, vel saltem terminatiue operationis, & simul sub ratione speculabilis: Nam ex obiecto, vt continet principia speculabilia, & cognoscibile est per actum puræ contemplationis, sumi potest ratio scientiæ speculatiuæ: Ab eodem verò, vt est terminatiuum operationis per antecedentem notitiam regulabilis, sumi potest ratio practiciæ: & ideo ex obiecto moraliter sumpto non oritur vlla repugnantia: quod si ratio formalis est eius naturæ, vt ad vtramque considerationem se extendat, non repugnat in eundem habitum vtraque illa ratio quadret. Ad rationem verò sumptam à fine, siue actibus scientiæ, respondeo, vt scientia aliqua sit simul practica, & speculatiua, non requiri, vt idem actus scientiæ sit simul puræ cognitio, & praxis per se ipsam regulata, quod repugnat: sed fat esse vt simul sit puræ cognitio obiecti, & quæ talis præscindens ab operatione: & simul notitia practica dirigens operationem, & quæ talis non persistens in sola obiecti cognitione, quod non repugnat, vt explicatum est in solutione primi. Quin verò id non semper requiritur, sed solum quando actus est adequatus scientiæ, tunc enim debet vtramque rationem habere, vt habet vnicus actus scientiæ diuinæ: quando verò actus sunt inadæquati habitui, vt in nobis, idem actus non est simul speculatio, & notitia practica, sed pro varietate obiectorum immediatorum: vt videre est in actibus fidei, modo enim credimus agibilia actu practico: modo speculabilia, & hic est speculatiuus: & ideo non est vnde colligatur repugnantia coniunctionis rationis practiciæ, ac speculatiuæ in eodem habitu. Ad vltimam confirmationem respondeo, tunc fines disparatos arguere diuersitatem habituum, quando ex ipsis sumitur aliquo modo ratio formalis habitus: & ita non possunt conuenire in vnam rationem formalem: quando verò ab ipsis non sumitur ratio formalis, nequaquam arguere diuersitatem scientiæ, sed posse ad vnam pertinere.

XI.

Quod attinet ad quæstionem in se-

cundo sentu, nimirum vtrum practicum, & speculatiuum in scientijs naturalibus sint differentiæ essentialis; Negantem partem amplectitur Scotus, quæst. 4. prologi. 8. *Contra de necessitate*, Mayron in 1. d. 48. quæst. 3. & 4. Bassol. quæst. 7. prologi, art. 4. Anton. Andreas, quæst. 4. Petrus de Aquila. quæst. 4. art. 2. Conrad. 1. 2. quæst. 3. art. 5. in corpore circa primam rationem, Hispalens. quæst. 2. prologi, art. 3. notabil. 6. Fundamentum præcipuum eorum est, quoniam ratio formalis consistens in habitudine non potest esse essentialis enti absoluto, ratio practici consistit in habitudine, scientia est qualitas absoluta: quare illa non potest esse ratio huius essentialis. Secundò nihil posterius est de essentia prioris, practicum, & speculatiuum sunt posteriora scientijs, quibus competunt: ergo non sunt differentiæ essentialis. Tertio idem genus diuidi nequit duabus diuisionibus adequatis quidditatiuis, & per differentias non subalternatim positas: scientia diuiditur adequatè per euidens, & ineuidens; practicum, & speculatiuum: per scientiam quia, & propter quid, addunt aliqui similiter habitum intellectiuium diuidi immediatè in habitum principiorum, scientiam, & opinionem, qui etiam diuiditur per practicum, & speculatiuum, membra vero harum diuisionum non sunt subalternatim posita, & prior diuisio est essentialis; ergo posterior est accidentalis. Vltimo, quoties commune aliquid diuiditur per essentialis differentias, quidquid continetur sub perfectiore, est perfectius omni contento sub imperfectiore. Hoc autem non cernitur in eiusmodi diuisione: non enim omnis habitus practicus est nobilior speculatiuo, vt patet, nec viceuersa.

Oppositam sententiam saltem respectu humanarum scientiarum teneat Capreolus, & Caietanus vbi supra, Chrysostomus, Iacellus 6. *Metaphysicæ* quæst. 6. Augustin. Nyphus disput. 2. Bonetus lib. 2. cap. 4. Fundamentum est quoniam hæ differentiæ non concurrent in habitum eiusdem speciei, & sumuntur à ratione obiecti contracta per proprium modum scibilitatis, siue potius à differentia ipsius obiecti scibilis, vt hoc cap. num. 10. & cap. 5. ostendi: ergo est per se differentia essentialis. Ad primum Mayron. respondet Aureol. quæst. 3. prologi, art. 2. ad finem, scientiam

XII.

Capreol.

Caietan.

Iacellus.

Nyphus.

Bonetus.

tiam considerari posse secundum rationem absolutam, & sic practicum, & speculatiuum esse differentias eius per accidens: vel quatenus est virtus intellectualis, quæ includit respectum debiti, congruentiæ, vel conuenientiæ in ordine ad naturam, in qua est: & hoc modo diuidi essentialiter per practicum, & speculatiuum. Quoniam, inquit, alio modo se habet intellectus ad obiectum, quod est scibile tantum, & alio ad id, quod potest ab eo fieri: modus enim sumendi principia, ac sciendi est alius omnino, quando obiectum est operabile, ac quando non est. Quæ responsio non satisfacit: Nam, quemadmodum virtus appetitiua non est aliud ab habitu absoluto, quo appetitus inclinatur ad suos actus, ita nec virtus intellectiua erit aliud; & quemadmodum virtus appetitiua distinguitur à per se ratione obiecti voluntatis, nempe ab hac, vel illa ratione boni: ita virtus intellectualis distingui debet à propria, ac per se ratione obiectiua ipsius intellectus, nempe à determinata ratione veri: sed ratio per se obiectiua distinguit habitus secundum rationem absolutam, alioquin non sumeretur distinctio scientiarum, quatenus scientiæ sunt, à proprijs obiectis: imò in his habitibus intellectus, qui virtutes intellectuales dicuntur, ratio virtutis, etsi fortè connotet aliquem respectum rationis, consistit tamen in ipsa ratione habitus absoluti: Respondetur itaque qualitates, & alia entia absoluta à respectu secundum esse, non esse prorsus absoluta à respectu transcendentis, & hunc includi in scientia creata: & idè mirum non esse, si ea essentialiter distinguatur per differentias respectiuas transcendentaliter. Ad secundum neganda est assumptio, quandoquidem nulla scientia in particulari concipi potest, quin in eius conceptu includatur ratio practici, aut speculatiui. Tertium argumentum ex æquo pugnat cum sententia Mayron. nam, si practicum, & speculatiuum sunt proprietates necessariae consequentes diuersas species scientiæ, vnumquodque ipso in communi vendicabit suam speciem, vel genus immediatè contentum sub scientia, à quo necessario profluat; & tunc de differentijs essentialibus per se constitutiuis earum specierum, vel generum fieri potest idem argumentum comparando illas cum differentijs illis, *euidens, & inuident*; Secundo responderetur etiam argumentum supponere, *euidens, & inuident*

dens, esse differentias essentielles, quod negabit, qui dicere voluerit practicum, & speculatiuum eiusmodi esse. Responderi tertio poterit non esse absurdum fieri plures diuisiones adæquatas eiusdem generis communis, vel analogi per differentias essentielles, non vniuocas, quæ ratione diuidi potest immediatè substantia in corpoream, & materiæ expertem in incorruptibilem, & corruptioni obnoxiam, in intellectiua, & non intellectiua: quarum diuisionum membra non sunt subalternatim posita, vt consideranti constabit. Itaque est nouum idem genus adæquatè diuidi per plures differentias essentielles analogicas, non subalternatim positas, vt patet in corporali, ac spiritali, dicuntur enim essentialiter de substantijs, & accidentibus, item in naturali, ac supernaturali, quæ dicuntur de qualitatibus contentis sub generibus non subalternatim positis, nempe sub habitu, ac potentia: & huius generis est differentia penes practicum, ac speculatiuum. Ratio verò cur non repugnet dari plures differentias essentielles analogicas non subalternatim positas, cum repugnet dari vniuocas, est, quoniam vniuocæ constituunt aliquod genus, vel speciem determinatam, nec possunt essentialiter competere nisi contentis sub tali genere, vel specie: at vero analogicæ non constituunt determinatum genus, ac speciem, sed aliquid analogum, quod non repugnat competere pluribus non subalternatim positis. Vltimum argumentum similiter militat contra sententiam Mayron. nam species, cuius proprietas erit ratio speculatiua, in communi perfectior erit ea, cuius proprietas erit ratio practica. Respondetur deinde negando maiorem propositionem; nam substantia corporea diuiditur substantialiter per corruptibile, & incorruptibile, & hoc est perfectius corruptibili, & tamen homo, qui subest corruptibili, est perfectior Cælo, quod sub incorruptibili collocatur.

(••)